1552 ą 11. Aug: Ex MS. Arch: Stan: Aug Regis. 93

28

Copia privilegii quod Burgrabii Cracovienses debent esse in numero Decem. Anno 1552. folio 54. Sub litt. L. O:

Sigismundus Augustus etc. Generoso et Venerabili Joanni Lutomierski castellano Brzeziniensi Burgrabio Cracoviensi, curiae nostrae Thesaurario Sanociensi Capitaneo, Raphaeli Wargawski custodi Vladislaviensi Canonico Cracoviensi Secretario thesaurique notario ac Zupparum nostrarum Cracoviensium administratoribus, fideli et devote dilectis gratiam Regiam. Generose et Venerabilis fidelis et devote nostri dilecti. Tametsi nos non ita pridem propter complementū personale decennarii numeri Burgrabiorum generoso Nicolao Czykowski Dapifero Cracoviensi Secretario nostro burgrabiatum arcis Cracoviensis contulissemus, ea tamen concessione nostra burgrabiatui Serenissimae Bonae eadem gratiā Reginae Poloniae etc. Parentis nostrae colendissimae, cujus in illis literis facta est mentio, in nullo derogatum esse sed tam Domum suae majestatis, quam proventus omnes ex Zuppis ad eundem pertinentibus integros ad suam Majestatem aut eos quibus voluerit pertinere volumus. Gnōso vero Nicolao Czikowski nullum jus nec ad domum burgrabiatus quem sua Majestas possidet nec ad proventus illius declaramus sed aream pro extruenda domo nos illi suo tempore assignabimus.

Pawłowski.

Proventus vero per fidelitates vestras quibus Zupparum nostrarum Cracoviensium administratio est commissa more aliorum burgrabiorum pro tempore consueto extra aliorum burgrabiorum numerum solvi et numerari volumus. De quibus Nos fidelitates vestras quoties opus fuerit, sumus quietaturi, sub ea tamen conditione, ut praefatus Generosus Nicolaus Czikowski et familiam fovere et alia omnia onera sustinere ad quae alii burgrabii tenentur sit obligatus. Harum etc. Datum Vilnae Undecima Augusti. Anno Domini Millesimo Quingentesimo Quinquagesimo Secundo. Regni nostri Vigesimo Secundo.